

1. 4. 5. W. Recurratoria

1. 50. 1. 6. 8. 6.

DISSERTATIO
DE
BENE MERITO,

Quam
PRÆSIDE

PETRO MÜLLERO

U. J. D. & Prof. Ord.

publicæ ventilationi exponit

JOHANN ERNEST. MUSÆUS
JENENSIS.

ad d. Decembr.

JENÆ, TYPIS GOLLNERTIANIS, 1680.

jur. civ.

44,14



C. D.

DE

BENE MERITO

PROOEMIUM.

BEne Lipsius: Vides toto die, totis noctibus laborantes ad incudem fabros: ad sudorem & extremum spiritum se fatigare in agris colonum; Maria & longè diffitas terras & ad extremos Indos currere impigrum mercatorem; Cives quotidianis operis intentos. Vides ut vitam periclitetur miles, audax in hostem congre- diatur, nihil penè penset, nihil curæ habeat. Dic sodes, quid sic miseros mortales ad industriæ instrumenta impelleret, sublatis laborum præ- miis, gloria, pace? Remunerandi ergo sunt, quorum opera hostes vicerit, quorum virtute Imperans conservaverit Rempublicam, qui ini- tium victoriæ, quique ante cœteros præclara fa- cinora dederunt. Excitatur enim præmio vir- tus non solum in iis, qui eo ornantur, sed & in
A 2 aliis,

aliis, æmulatione injectâ. Hinc apud Romanos coronæ originem traxere, triumphalis, ovalis, obsidionalis, civica, muralis, castrensis & navalis, de quibus Aul. Gell. *noct. Atticar. lib. 5. cap. 6.* ut nihil dicatur de hastis, phaleris, torquibus, armillis, quibus, qui strenuè sese gessissent, ut Plinius & alii referunt, ab imperantibus donabantur. Prætereantur silentio toties à Romanis divisi inter milites agri, aliæque immunitates infinitæ ob benè merita fortibus concessæ. D. Lebleu *d. poenis & premiis th. 81.* Scilicet in Republica benè constituta præmia benè meritis, poenæ delinquentibus statuuntur; & præmio, dicto Taciti *annal. 15. 59. 3.* cuncta pervia sunt. Ac licet amor purus se ipso contentus sit, præmiumque non quærat; æquitas tamen suadet, ut præmia dentur etiam non petenti. Bonis namque grata sunt præmia, ut videant operam suam non displicuisse Reipublicæ. Ac ita licet non propter præmia quis Reipublicæ operam suam loquet, gratitudo tamen requirit, ut is præmiis afficiatur Lebleu *d. l. th. 89.*

— *tanto major fame sitis est, quam
Virtutis; quis enim virtutem amplectitur ipsam
Præmia si tollas?* Juvenal. *Satyr. 10.*

Et bestias gratissimas in benè meritos fuisse, ex historiis constat. Xantippi Atheniensis canis, cum desiderium abeuntis Domini ferre non posset,

set,

set, à Piræeo natans illum secutus Salaminem,
& cùm primum in siccum exiit, labore confe-
ctus, expiravit, quam rem Aristoteles & Philo-
chorus literarum monumentis mandaverunt,
docente Æliano *de animalib. lib. 12. cap. 35.*

Leonem immanissimam feram, beneficii gra-
tiam retulisse, memorat Androdus, quod lugen-
ti ægroque pede, expressâ sanie, deterfoque
cruore, sanitatem restituisset, Ælianus *de animalib.
lib. 7. cap. ult.* De Aquila memorabile gratitudinis
exemplum refert Crates Pergamenus *lib. 5.* quod
& Stesichorus Poëta versu est complexus. Nam
cum XVI. messorum, inquit, quendam è sociis a-
quatam misissent, reperit is apud fontem serpen-
tem, qui Aquilam complexu pene suffocabat. Il-
le falce, qua armatus erat, serpentem dissecuit,
aquilam liberavit. Quæ liberatorem suum in-
secuta, cum is aquam ad socios detulisset & po-
culum ori admovisset, alis illud excussit, velut si-
gno indicans, ne biberet. Quod dum ille admi-
ratur, & indignans resumit, videt hinc & hinc so-
cios concidere. Quippe viderat bestia serpen-
tem illum in eo fonte, unde is aquam hauserat,
venenum suum effudentem, & grata erga bene-
factorem, eum quo potuit signo admonuit peri-
culi, quod alii jam incurrerant. Plura de ani-

malibus dici possent memorabilia gratitudinis exempla, aut nec tempus, nec instituti ratio longiora ferre videtur; de Dracone vid. *Ælian. lib. 13.* De Grue Busbequius *epist. 13.* de Serpente & Leone Matheus Paris *in histor. Anglic. pag. 241.* Hanc à brutis imperantes, ait Leubleu *d. l.* gratitudinem addiscant.

David erga Jonathanis posteros 2. *Sam. 9.* Alcibiades erga Socratem, Abra Dates Rex Suis erga Cyrum, qui Pantheam reginam tutatus fuerat, ne à quopiam vitiata fuerit. *Xenoph. lib. 6. 7. de pedia Cyr.* Matthias Rex Ungariæ erga Iudimagistrum, qui illum olusculi ferculo exceperat. *Munster. lib. 4. Cosmograph.* sequanturque illum cuiusvis conditionis homines erga bene de se meritos, beneficium scilicet æstiment, benigne accipiant, gratias agant, cum gratiis commemorent & rependant. Idque jus requirit atque ab homine exigit. Jus naturæ vult, ut benefaciamus benefacienti: *gloss. in l. 25 §. ii. ff. de hered. petit. Tiber. Decian. vol. 1. resp. 25. n. 36.* Invitat ad magna, qui grantanter suscipit modica: & spem de futuris recipit, qui transacta Beneficia recognoscit: nec desperatione frangitur, qui magnorum munerum consolatione roboratur *Cassiodor. in Psalm.* De isto bene merito, quatenus in societate & jure civili aliquid

quid

quid specialius concessum reperitur, discursum cum eruditis publicè formare animus est, consideraturis illud, quatenus aliquid præmii insequitur, & quibus personis exinde præcipuum confertur. Faxit Divinum Numen, quod nobis omnis generis dona confert, & per quæ vult nobis satisfacere, & tam animæ quàm corpori prodesse, ut dicenda in altissimi ipsius nominis gloriam proximique gloriam cedant.

CAPUT. I.

QUID SIT BENE MERITUM ET QUOTUPLEX.

§. I.



Meritum à græco *μεριτω*, quod nanciscor, sortior significat, suos trahens natales, notat causam nanciscendi & obtinendi aliquid, non quidem quovis modo, verùm *μετ' ἀξίας*.

Quid meritum denotet.

§. II. Varie sumitur meritum. Patribus

& Theologis aliquando mereri idem est, quod *ῥογχαίνειν*, consequi. vid. Gerh. Conf. Cath. P. ult. p. 825. imò ipsam Apol. A. C. artic. d. Justif. meritum autem quodlibet medium est, quò aliquid consequimur seu quod ex institutione divina aliquid impetrat, vel cui Deus aliquid gratiosè largitur, ac si dignitas cause id exigeret, quæ tamen id non exigit, quomodo Augustinus lib. 12. confess. c. 22. aqua supra firmamentum tam sublimem locum meruit, ait, & Vega opuscul. de meritis qu. 4. p. 782. se non fugere, inquit, usurpari apud Patres nomen Meriti, ubi nulla est ratio, neque de congruo, neque de condigno. Quam abusivè Pontificii accipiant, videantur Theologi. add. D. Hulse. manual. confess. August. contra Jesuit. Hag. diss. 5. qu. 2.

Quomodo accipitur à Theologis.

§. III.

Philosophis. §. III. *Philosophis* tripliciter vox meriti accipi animad-
Latissime. vertimus, I. *Latissime*, ut ad omnes se quascunque demum ex-
 tendat actiones morales, ut ita agens, si actio bona & legi con-
Stricte. formis sit, favorem & gratiam; si verò mala, odium apud legis-
 latorem mereatur. II. *Stricte*, prout ex actionibus meris morali-
 ter bonis proficiscitur, spectatque saltem objectum jucundum.
Strictissime. D. Becman. *meditat. polit. dissert. 5. §. 2* III. *Strictissime*, quate-
 nus respicit actiones bonas, non quidem eas, ad quas perfecte
 obligamur imperio Legislatoris, sed eas saltem, quæ aliis non
 debentur, vel quod nulla prorsus obligatio ad eas præstandas
 adstringat, vel siquidem natura easdem suscipi jubeat, & sua-
 deat applicationem tamen ad individua in nostro relinquat ar-
Ætis. bitrio. Vel *pravas*, & illas quidem, quibus alteri damnum &
 injuria datur. Cujus meriti vi quis ad illud damnum pensan-
 dum, & insuper ad cautionem de non offendendo in posterum
 adstringitur Weiss. *dissert. de merito, cap. 1. §. 9.*
Generaliter §. IV. *Ætis* vocabulum meriti variè accipitur. Et qui-
Specialiter. dem in *generali* significatione meritum id, quod congruum &
 conveniens esse censetur cuilibet personæ, ideoque medium seu
μεσον vocabulum est, potest enim quis *benè*, potest etiam *malè*
 quis mereri. *Specialiter* accipitur pro commodis præmiorum,
 quæ emeritis & impletis stipendiis veteranis concedi solent l. 18.
 §. 5. ff. *de jure fisci*. Mereri item denotat mereri stipendium mi-
 litare l. 16. §. *fin.* ff. *d. castr. pecul.* l. 8. ff. *d. accusat.* l. 23. *in fin.* *ad*
municipal. Veniam mereri dicitur is, qui ea dignus est, l. 4. §. II.
 ff. *d. re militari*. Sententiam deportationis meruisse dicitur,
 qui eam passus est. l. 3. *C. de instit. & substit.* Mereri etiam aliquid
 ex judicio patris dicuntur, quibus aliquid testamento ejus reli-
 ctum est l. 28. §. 1. ff. *de excusat. tut.* Sic etiam mereri legatum
 dicitur is, cui id in testamento relinquitur l. 21. ff. *ad Leg. Falcid.*
 Accipitur etiam mereri pro mercede operari, laborare atque
 alteri inservire. Propriè tamen spe stipendii ac præmii: quod
 dicitur stipendia facere. Hinc loca meritoria, quæ mercede
 locantur forte viatoribus, vel peregrinantibus. Hinc & meri-
 toria scorta, meritoria rhedæ, & muli meritorii. Alciat. *de verb.*
signif. Denique mereri *Ætis* idem est ac ob beneficia exhibita do-
 natione seu remuneratione dignum esse, uti patet *ex leg. 77. §. 2*
ff. de Leg. 2. §.

§. V. Tò *Bene* huic merito adjicitur, cum dētur etiam *malè* Datur bene meritum, uti §. *præced.* dictum est; bene sive boni meriti acceptionis usus frequentior est. Becman *d. l. Dissert. s. §. II.* Aliàs tò *malè meritum.* bene denotat valdè. Sic apud Cic. *d. L. Agrar. contra Rallum:* Adolescens, inquit, non minus bene nummatus, quàm bene capillatus: quomodo aliàs tò *bene* in jure accipitur vide Calvin. in *Lex. h. voc.*

§. VI. Bene meritum potest describi: *Quod sit factum officiosum vel Reipublicæ vel certis hominibus exhibitum, naturaliter ad remunerandum obligans.* Describitur

§. VI. Bene meritum varias habet *differentias:* Aut enim *Differentia.* sunt merita debita officio pietatis ac honestatis naturalis, qualia cum quodammodo debentur, propriè merita esse non videntur, per ea quæ tradit Ceph. *lib. 1. conf. 94. n. 16.* Pruckman. *conf. 13. n. 154.* Aut merita cum officio obsequiali sunt quidem conjuncta, cum magna verò curâ, impensa & sollicitudine exhibentur, ut remuneratione & præmiis digna judicentur Phil. Decius *conf. 232. n. 6. in fin.* quorum consideratio hujus loci est.

C A P. II.

DE

SINGULARI BENE MERITI JURE

circa

CONCESSIONIS ET ALIENATIONIS IRREVOCABILITATEM.

§. I.

Bene meritum in jure nostro multa habet specialia Cardin. *B. M. multo* Tusch. *lit. B. concl. 87.* ac propterea sæpius recedi à regulis juris asserit Joh. Ceph. *lib. 1. conf. 97. n. 35.* cum *Dispositiones remuneratoriæ sint favorabiles & latè intelligendæ, etiamsi sint circa materias strictas de sui natura Cardin. Tusch. lit. F. conclus. 88.* quæ enim bene merentibus conceduntur, efficacius conceduntur Tiraq. *ad l. si unquam 8. C. de revoc. donat.* *B* *verb.*

verb. donationi lurgium n. 28. Spectatur autem Singularitas ista in primis vel circa Concessionem, vel Alienationem & prohibitionem revocationem, vel Vacationem Munerum, vel Cessationem actionis, vel Interpretationem, vel Pene mitigationem, vel denique circa Probationem.

Princeps nunquam præsimitur motu proprio aliquid concedere. § II. CONCESSIONEM quod attinet, Princeps, qui nunquam præsimitur aliquid beneficium motu proprio concedere, sed ad petitionem & instantiam ejus qui accepit, vel alterius pro ipso intercessionem, textus est elegans in cap. 23 d. prebend. in 6. ibi: Si motu proprio alicui aliquid beneficium obtinenti conferamus aliud, de illo non habita mentione: non ob hoc gratiam hujusmodi, quæ de nostra mera liberalitate processit, invalidam volumus reputari. Secus si ad petitionem illius vel alterius pro eodem oblatam, gratiam hujusmodi facimus, tunc enim (quantumcunque modicum beneficium taceatur in ea) ipsam veluti surreptitiam vires nolimus obtinere. Si tamen ob bene merita fecerit concessionem, præsumitur motu proprio eam fecisse arg. l. 12 §. 8. ff. mandat. Bened. fecerit concessionem, hic est, ut beneficium & privilegium motu proprio concessum, plenius sit interpretandum, quam illud, quod ad preces supplicantis datur Enenckel Baro d. privileg. lib. 2. cap. 4. n. 22. Petr. Anton. d. Petra d. jure quaesito per Principem non tollend. c. 32. dub. 2. n. 6. Reddit enim motus proprius gratiam favorabilem Matta tract. d. clausul. 73. n. 4. adeo ut illa æquè plenè ac ultima voluntas (quæ aliàs maximè favorabilis l. 1. C. d. SS. Eccles. & plenissimè capiènda l. 12. ff. d. Reg. Jur.) interpretanda sit Carpzov. lib. 6. resp. 41. n. 11. 13. & tollit omne vitium subreptionis l. si qui 1. C. d. petit. bon. ablat. lib. 10. c. si motu proprio 23. d. preb. & dignit. in 6. Menoch. lib. 2. d. arbitrar. jud. quest. cent. 3. cas. 201. n. 80. Sanchez. lib. 8. d. dispensat. disp. 21. n. 47. & 52.

Privilegium concessum à Principe revocari potest. §. III. Privilegium à Principe vel Magistratu concessum, ab Eodem revocari potest & adimi. Quæ enim ad constitutionem faciunt, ea in contrarium acta destructionem operantur l. 100. l. 153. ff. d. R. J. & sic privilegium tollitur, si adsit sufficiens causa, ob quam semel concessum revocari possit; Nemini enim Princeps sine justâ ac legitima causa jus adferre debet l. 5. ff. d. decret.

decret. ab ordin. faciend l. 3. 4. C. d. revoc. donat. revocari autem rectè potest svadente & ita exigente publica utilitate, hoc enim casu, uti Princeps jura & privilegia concedere *l. 3. ff. d. offic prætor.* ita etiam tollere potest *d. l. 5. ff. d. decret. ab ordin. fac. l. 11. §. 2. ff. d. muner. & honor.* Similiter à Principe privilegium rectè revocatur, si post concessionem postea emergat nova causa, quæ vel in detrimentum Principis cadit, vel in aliorum personâ illud damnosum aut iniquum efficit *l. 43. in pr. ff. d. vulg. & pupill substit.* Jacob Schultes *in addit. quest. Modest. Pistor. p. 4. qu. 149. n. 73.* Eâdem pænitendi licentia uti licet in privilegio ex mero favore & gratiosa voluntate subditis concessio; idque eo magis, si expressè jus pænitendi & abrogandi potestatem Princeps sibi reservavit: & tunc quod precibus petentis indulgetur, tamdiu concessum intelligitur, quamdiu is, qui concessit, patitur *l. precarium 1. in pr. ff. d. precar. l. 32. ff. d. donat.* Revocari autem non potest privilegium ob benè meritum concessum Tiraquell. *in d. l. ob benè meritum concessum revocari nequit* n. 14. Vultej. *consil. 35. n. 113.* Rauchbar. *quest. II. n. 12.* Ea quippe privilegia cum servitiis & laboribus acquirantur, onerosa potius, quam lucrativa causa, comparari solent, & compensationis, non verò liberalitatis vicem obtinere creduntur Tapia *ad l. fin. ff. d. constit. princip. c. 9. n. 7.* Ut proinde privilegium concessum ob bene merita & recepta beneficia transeat in beneficium, & perdat nomen privilegii, & ob id quàm latissimè sit interpretandum *l. fin. d. constit. princip. Socin. consil. 84. incip. acuratissimè vers. confirmantur prædicta vol. 4.* & vis ejusmodi privilegii & concessionis ex causa meritorum concessi est, ut contractui æquiparetur, tradente id Cravetta *d. antiqu. tempor. 1. part. pr. num. 54.* Anton. Gabriel Roman. *lib. 3. concl. 3. n. 7.* imò transit in contractum vimque ejus obtinet Aretin. *in c. 1 col. 2. d. const. Ruin. consil. 217. col. 3. vol. 1.* Joan. Sylva. *in tract. d. benef. in part. 3 qu. 14.* Jam verò Princeps in vim contractus & sic ex causa meritorum concessum revocare nequit, Tiraq. *in l. si nunquam verb. donatione largitus n. 14. C. d. revoc. donat. Paris cons. 11. n. 44. & n. 49. lib. 1. & cons. 128. n. 127. Alex. cons. 50. col. 3. in fin. vol. 4. Menoch. consil. 2. n. 139 & consil. 75 n. 44.* Idque adeo verum est, ut ne Princeps quidem ex certa scientia, vel ex plenitudine potestatis hujusmodi

modi privilegium revocare possit Bald. in l. Princeps in i. lect. ff. d. legib. & in l. fin. in fin. C. d. transact. Gvid. Pap. in tract. d. rescript. quest. 34. Ferdin. Vasqu. lib. 1. controu. illustr. c. 2. n. 5. latissimè Carol. Tapia in l. fin. d. constit. Princip. d. l. qu. 2. Generalis enim est doctrina, quòd Princeps ex pacto & contractu à se inito, non minùs quàm quilibet privatus teneatur c. 1. d. probat. ubi Panorm. Felin. & Dd. communiter c. 1. d. natura feud. Clement. Pastoralis d. re judicat. Licet enim Princeps alioquin legibus sit solutus, obligatione tamen contractuum à se initorum, non ita liberatur, cum hi ferè ex jure naturali & gentium descendant l. ex hoc jure ff. d. just. & jur. l. 1. d. pact. Idem est, si Princeps exemisset aliquem ab oneribus vel contributionibus, qualis exemptio revocari potest; non autem revocatur, quando propter merita est facta arg. l. 6. C. d. navic. Joan Garlias tract. d. donation. remunerat. n. 37. Andr. Gylman symphor. tom. 4. part. 1. voto 30. n. 203. Unde facilis est responsio ad quæstionem: *An Successor in principatu privilegium ab Antecessore concessum revocare possit?* Distingv. An quis succedat jure hereditario; An verò ex propria persona à lege. Priori casu non potest: Nam non potest heres mutare aut contravenire promisso ejus, cujus hereditatem agnovit l. 4. C. d. rei vindic. Nam ex cujus persona quis lucrum capit, ejus facta quoque præstare tenetur l. 149. d. R. f. Posteriori modo distingvitur: An propter benè merita sit concessum, An verò ex mera liberalitate Antecessoris. Priori casu mutari non potest. Posteriori verò potest, vid. Reinking. d. reg. secul. & ecclesiast. lib. 1. class. 3. & 10. per totum Carpz. p. 1. decis. 88. & ita Scabini Lipsiens. in causa, M. F zu D. responderunt: Wiewol nun hochgedachtes Fürsten Erben anieho diesem zu wiederkommen/ und von Eu. h. die gewöhnliche Steuer des Wein- und Bier- schanckes zu fordern gemeinet. Dieweil aber dennoch euerm Vater und seinen Nachkommen vorgedachtes privilegium einmal/ und zwar nicht umsonst/ sondern wegen seines Wolverhaltens treuer Dienste/ und als ein Stück seiner Besoldung gegeben und ertheilet worden &c. So werdet Ihr darbey billig gelassen/ und es seynd hochgedachte Fürstliche Erben/ das von dem Herrn

Q. An Successor privilegium ab Antecessore concessum revocare possit?

Heren Vatern euch ertheilte privilegium wieder aufzuheben nicht befugt. B. N. W.

§. IV. Ex prioribus inferitur; Quod *Prelatus* Successor in- *Prelatus*
vestituram ab Antecessore suo *abusivè* concessam non teneatur ra- *Antecessoris*
tam habere, cum jure Electionis ad officium accedat, ac præ- *sui investi-*
sentium tantum rerum, non etiam post mortem administratio- *turam abu-*
nem habeat *per c. fin. caus. 12. qu. 1. c. 2. X. d. donat. 1. feud. 3. 2. sive conces-*
feud. 3. Rudinger. observ. singul. cent. 1. obs. 30. voc. Anwoaltung/ *sam non te-*
D. Tabor. tract. d. obligat. success. in offic. c. 6. n. 11. Si tamen in re- *netur ra-*
munerationem meritorum vel servitiorum Ecclesiæ aut dignita- *tam habere,*
ti exhibitorum feudum alicui promiserit, ratam habere tenetur, *Secus si feu-*
arg. c. ult. qu. 7. XVI. c. 66. q. 2. XII. c. 5. donat. tum modo promis- *dum sit pro-*
fio illa non sit temeraria, & notabile damnum Ecclesiæ adferat *missum ob*
c. 7. d. donat. c. 5. d. jur. patron. confer. Modest. Pistor. vol. 1. conf. 1. *B. M.*
D. Tabor d. l. c. 6. n. 4.

§. V. Circa ALIENATIONEM eiq; annexam IRREVO- *In genere a-*
CABILITATEM generaliter notandum est: Quod si lege vel *alienari*
statuto prohibeatur alienatio, non tamen censeatur prohibita *prohibitum,*
ob bene meritum Stephan Gratian. *disceptat. forens. cap. 202 n. 1. non cense-*
Et quod aliàs est revocabile, fieri irrevocabile, si factum fuerit ob *tur ob b. m.*
bene merita Tiraq. *ad l. 8. C. d. revoc. donat in verb. donatione largitur* *prohib.*
n. 13. Sic Princeps etiam si liberam administrationem habeat, non *Princeps*
tamè terras suas alienare potest, quia bona Coronæ, quæ *domania*
vocant, non tam in bonis Principis, quàm in patrimonio Regni *non potest*
vel Ducatus, imò penes Coronam ac dignitatem regiam, veram *alienare.*
proprietatem Domanii manere censeantur juxta doctrinam Luc. *Luc. Penna in l. quicumque C. d. omn. agro desert. n. 9. Carol. Moli-*
d. Penna in l. *quicumque C. d. omn. agro desert. n. 9. Carol. Moli-*
nei *ad consuetud. Parisiens tit. 1. §. 2. gloss. 4. n. 16. & seqq. add.*
Reinking. *in tr. d. reg. sec. & eccles. lib. 1. class. 3 cap. 7. n. 15. adeo*
ut si de facto aliqua domanii pars distracta sit, non tantum à *ut si de facto aliqua domanii pars distracta sit, non tantum à*
Successore revocari possit, licet filius sit alienantis, cum aliena- *Successore revocari possit, licet filius sit alienantis, cum aliena-*
tio sive contractus si sit invalidus, aut forte inofficiosus, tunc ipsi *tio sive contractus si sit invalidus, aut forte inofficiosus, tunc ipsi*
etiam heredi contra factum defuncti venire permissum est *etiam heredi contra factum defuncti venire permissum est* *text.*
in l. 7. C. d. agric. & censit. Knipschild exercit. 1. qu. 2. Sed etiam
ab ipso alienatore, non refuso pretio, nullâ obstante præscriptio- *ab ipso alienatore, non refuso pretio, nullâ obstante præscriptio-*
ne, nisi immemoriali *d. l. 7. C. d. agric. Afflict. decis. 240, n. 4. arg.*

Potest tamē
ob B. M.

Idem dicen-
dum est de
rebus civi-
tatis.

Res sacra,
religiosa &
sancta regu-
lariter alie-
nari neque-
unt.

Nec Eccle-
siastica bo-
na.

Possunt ta-
men ob benè
merita.

l. 23. C. de rei vindic. l. 1. 2. & 3. tot. tit. C. ne rei domin. vel templor. vindic. temp. præsfer. submov. l. ult. C. d. fund. patrimon. atque saltuensib. lib. II. cap. super quibusdam 36. §. præterea X. d. Verb. Signif. Recess. Imper. d. anno 1548. §. Wenn auch ein ausgezogener. Potest tamen Princeps alienare ob benè merita, post Socin. regula donare non potest Princeps 1. & 2. fall. Cardin. Tusch. conclus. 636. n. 5. hanc enim alienationem concedit imò suadet publica utilitas Prückm. §. venatio cap. 5. n. 3. & §. soluta potestas eff. 1. n. 41. Consultius tamen erit, si in eiusmodi alienatione Ordinum consensus & benè placitum adhibeatur Nevizanus inter consilia feudal. Brun. cons. 12. n. 157. Menoch. consil. 426. n. 28. præsertim cum aliàs res arduæ sine consensu ordinum expediri non debeant. arg. c. apostolicæ caus. 35. qu. 9. c. 1. X. d. reb. Eccl. alien. l. placuit 5. C. SS. Eccles. Quod de principe dictum est, locum etiam habet in rebus civitatis, quæ à Decurionibus & administratoribus non quidem possunt alienari tot. tit. C. d. vendend. reb. civitat. Ob benè merita tamen transferri possunt in alios l. 6. ff. d. bon. damnat. Tiraquell. d. l. n. 32. Cephal. lib. 1. cons. 39. n. 31.

§. VI. Res sacra, religiose & sanctæ, sicuti nullum earum est commercium, ita regulariter alienari nequeunt, l. 6. in pr. l. 34. §. 1. d. contrah. emt. l. 2. d. SS. Eccles. & Ecclesiastica bona alienari prohibentur. l. 14. cum Authent. hoc porrectum C. d. SS. Eccles. Nov. 7. Nov. 120. Klock, tom. 1. consil. 35. n. 33. n. 35. Aloys. Ricc. in prax. rer. for. Ecclesiast. tit. d. alienat. rer. Ecclesiast. ne contingat Ecclesias bonis spoliatas deferri, cum non suppetat unde alantur divino ministerio addicti, & ut ait c. Apostolicis 2. q. 2. & ne per hoc Ecclesiasticos redditus lædantur, qui ad Canonicorum utilitatem, & pauperum peregrinorumque sustentationem spectare debent Thom. Merckelbach in consil. K'ock, tom. 2. cons. 48. n. 16. & seqq. præsertim cum Episcopi non sint Domini, sed tantum administratores, qui sibi caveant oportet, ne dispensando aut aliàs temerè alienando perdant Gloss in fin. c. 19. X. de Elect. Si tamen alienatio rerum ecclesiasticarum tam rerum mobilium teste Cephal. lib. 1. cons. 39. n. 31. quam immobilium cap. 5. d. donat. fiat ob benè meritum, seu ob remunerationem, illa subsistit, uti in Tutore, Curatore, Prælate, Decurione, Civitate, Procuratore & aliis

& aliis exemplis probant Dd. Tiraquell. in d. l. si unquam, in verb. donatione largitus an. 26. usque d. n. 32. C. d. revoc. donat. Stephan. Gratian. tom. 2. discept. forens c. 102. n. 3. Cum tales donationes non sint purè & propriè donationes, sed habeant admixtum titulum onerosum, & æquiparentur compensationi Card. Mantic. d. tacit. & ambig. convent. lib. 13. tit. 15. n. 17. & seqq. Et quod donatio ex causa benè meriti de bonis Ecclesiæ facta licita sit, ejus argumentum præbet cap. liberti Ecclesiæ in fin. 12. q. 2. ibi: pro remuneratione impensi obsequii vel Ecclesiæ utiliter possunt donari Klock tom. 1. conf. 35. n. 195. & seqq. modò in instrumento alienationis causa & meritum conceptis verbis apponantur, propter quæ talis alienatio fit l. 27. ff. d. donat.

§. VII. *Res pupillorum & minorum* non possunt alienari à tutore, ne quidem per Transactionem Ant. Faber, in Cod. lib. 5. tit. 37. def. 2. n. 2. diminuit enim quivis alienans, l. 1. C. d. fund. dotal. Si tamen ob bene merita facta sit, valet alienatio Carpzov. p. 2. c. 11. def. 48. & ita pronunciarunt Jcti Lipsienses: Da aber Denz noch obgedachter Hauptman umb die Gelegenheit und die administration der Herrschafft die beste Wissenschaft gehabt / also daß solche durch eine andere Person besser und füglichher nicht bestellet werden können / derselben aber ohne Berwilligung solches Gnaden Geldes sich nicht bestellen lassen wollen / auch seinem Ampt dermassen vorgestanden / daß der Herrschafft Nutzen und Bestes dadurch geschafft worden / &c. So wurden wolermeldten Herrn Vormunden die ausgegebene 2000 fl. Gnaden Geld. nach Gelegenheit dißfalls in ihrer Rechnung billig passiret, und sie möchten dieselbe von den ihrigen zuersezen / nicht angehalten werden B. N. W. *Dubium verò est, Num ipsi Minores sine curatorum consensu possint ob bene merita donare?* Quod non obstante contrariâ sententiâ tanquam communi, negativè resolvimus, quia minores sine consensu Curatorum etiam de jure civili, si aliquos habeant, rectè debita exsolvere nequeunt, D. Eckolt. ad l. 46. tit. 3. ff. l. 5. Jam verò bene meritos remunerari solutionis quædam species est. Ut proinde tutius sit asserere, hoc casu judicis decreto opus esse arg. l. 12. & 15. C. d. præd. minor. & arg. l. 2. C. si advers. donat. Benedict. à Vadis in access. ad Felin. lib. 2. decretal.

Res pupillorum & minorum alienari nequeunt. Possunt tamen ob benè merita.

tal tit. d. judic. novit ille §. 12. Judex verò facilius esse potest in concedendo decreto de alienando, quando ipsi causa alienationis justa, nempe meritum exponitur.

*Res fidei-
commissio
subjecte a-
lienari ne-
queunt.*

§. VIII. *Res fideicommissio subjecte alienari nequeunt* Authent. *res que C. communia d. legat.* per quam alienationis prohibitionem prohibitus censetur omnis actus, per quem res transfertur. Hinc fiduciarius heres non potest transigere arg. l. 4. C. d. *præd. minor.* nisi consensu eorum, quorum interest, rem non alienari l. 11. C. d. *fideicommiss.* Petr. Anton. de Petra qu. 8. n. 63. & seqq. nec usumfructum, nec aliud jus reale constituere l. *fin. C. d. reb. alien. non alien.* nec pignus d. l. *fin.* quamvis enim pignoris datio strictiori sensu non sit alienatio, quia tamen plerumque per eam devenitur ad alienationem, ideo sub prohibitione comprehenditur Sande d. *prohib. rer. alienat. part. 3. cap. 3. n. 18.* Hoc tamen fallit in casu bene meriti & remunerationis, quo alienari possunt, ita docente Tiraquell. d. l. *num. 45. & seq.* ubi tamen vix tuto potest alienatio fieri, etiamsi causa necessaria vel probabilis subsit, si non adhibitum fuerit decretum Judicis, quod accipientem justum possessorem constituit l. 11. d. *A. P.* Huic simile est, si Statutum sit in loco, vel consuetudo familiæ, ut aliquis teneatur conservare & relinquere tertiam partem fratri vel agnato, eo casu non potest donare extraneo; Potest tamen, si fiat ob bene merita Cardin. Tusch. *lit. D. conclus. 636. num. 26.*

*Idem dicen-
dum est de
Statuto quo-
dam.*

*Donationes
inter virum
& uxorem
prohibitæ
sunt.*

*Concessæ ob
B. M.*

§. IX. *Donationes inter virum & uxorem prohibitæ sunt* l. 1. ff. & C. d. *donat. inter vir. & ux.* quoniam honestus amor solis animis æstimari debet l. 3. ff. *eod.* & ne mutuo amore invicem, spoliarentur, donationibus haut temperantes, sed profusa erga se facilitate omnia prodigentes l. 1. *eod.* vid. Scipio Gentilis *tract. d. donat. int. vir. & ux. lib. 1. c. 5.* ut proinde revocari, & res, si adhuc extet, vindicari l. 5. §. *fin. l. 33. §. 1. ff. eod.* vel si non extet, & bona fide consumpta sit, conditione sine causa, aut ex injusta causa d. l. 5. §. *fin.* Sin mala fide, aut dolo, vel ad exhibendum, vel damni injuriæ agi possit l. 37. ff. *eod.* Ast valet donatio, nec revocari potest ob bene merita facta, quia hæc non est simplex & pura donatio inter vivos, sed impropria, qualis valet inter

Con-

Conjuges arg. l. 7. §. 2. ff. d. donat. int. vir. & uxor. Menoch. d.
 arbitrar. judic. quæstion. lib. 2. cent. 2. cas. 132. n. 4. Schneidevv. ad
 §. 2. Instit. d. donat. n. 61. Unde est, quod in foro Saxonico Gerada
 donatio ab uxore marito ob bene merita, (præterita seu præce-
 dentia tantum) fieri possit, per ea quæ habet Tiraq. in d. l. si unquam
 n. 109. C. d. revoc. donat. Andr. Goldbec. d. Gerad. c. 7. membr. 4.
 n. 45. Ad quam autem donationem, ut jure valida sit, inter alia
 requirit Carpzov. p. 2. c. 13. def. 2. ut certò constet tam de ipsa
 gerada traditâ marito, quàm de hujus remuneratione &
 meritis, talibus scilicet, ad quæ donatarius aliàs non tenebatur,
 nam merita jure debita non censetur merita, quæ robur & vim,
 actui aliàs invalido tribuunt Jason in l. si donatione. ff. d. collat.
 Nec sufficit de meritis in genere dictum esse, nisi certa fuerint
 denominata atque probata Tiraq. d. l. n. 87. Rauchbar. p. 2. qv.
 II. n. 16. Proinde sicuti in donatione hac remuneratoriâ gera-
 da exprimi debet, quippe quæ sub generali donatione aliàs non
 comprehenditur Gloss. in Weichbild art. 23. n. 12. 13. & 14. ita
 & de merito seu donato aliquo reciproco, certò constare, illud-
 que verbis disertis exprimi ac realiter tradi necesse est, si donatio
 hæc remuneratoria pro valida debeat haberi, plura requisita
 vid. ap. Carpzov. d. l. d. 3. 4. 5. 6. 7. & 8. Huc ponendum & il-
 lud: Quòd licet milites concubinis donare prohibeantur l. 2. C.
 d. donat. int. vir. & ux. posse tamen ob bene meritum, Hareman.
 Hartman. pract. obs. lib. 2. obs. 8. n. c. tit. 44. quæ doctrina pro-
 pter abrogatum concubinatum nullam habet utilitatem.

§. X. Inter patrem & filium non subsistit donatio, idque propter
 patriam potestatem, vi cuius filius acquireret patri, quod à patre
 donaretur, l. 1. §. 1 ff. pro donatio l. 13. C. d. collat. & si hoc fiat, potius
 esse paternæ voluntatis destinatio, quàm perfecta donatio l. 11. C.
 ibiq; Brunnem. de donat. cum perinde esset, ac si pater sibi ipsi
 donaret, ob jus potestatis Gomez. tom 2 c. 4. n. 25. unde domini-
 um rei donatæ in ipsum nec transferri, nec apud eum subsistere
 potest, sed statim ad patrem revertitur Ascan. Clem. c. 6. effect.
 2 n. 2. Enenckel. d. privileg. §. n. 4. & §. d. privileg. par & liber. o-
 portet namque inter dantem & accipientem personale discri-
 men intercedere Gail. lib. 2. observ. 28. n. 4. cum contra fictione

C

juris

*Excipitur
donatio ob
B. M.*

juris pater & filius habeantur pro una persona *l. ult. C. d. impub. & alior. substit.* Bocer. *c. 3. n. 6. d. donat.* Ab ista regula excipitur donatio à patre facta filio ob *benè meritum*, scilicet quod ita facta subsistat *arg. l. 3. C. famil. hercisc. l. 77. §. 25 ff. d. legat. 2.* videtur enim eo casu, non tam ex substantia patris, quàm ex propria industria rem donatam adeptus Fachin. *contro. lib. 3 cap. 74.* Neq; obstat, quod non videatur fieri posse, ut filius ita se gerat erga patrem, ut eum beneficio collato ad remunerandum obliget, cum dicente Arist. *l. 9 Ethic. c. 1.* Diis atque parentibus parem gratiam rependi non possit, quòd argumentum effecit ut Lancellus Positus, politissima vir literaturæ teste Tiraquell. *ad l. si unquam C. d. revoc. don. de sententia nostra tanquam communi dabitaverit.* Verùm certum est legibus nostris non rarò fieri mentionem meritorum filii erga patrem, ob quæ singularem gratiam à Parentibus obtinuerit, textus est in *l. de emancipatis C. de legit. hered. & in l. sum pater §. rogo d. legat. 2. n. 16. in l. 1. §. toties ff. d. collat. bon.* Imò perinde est ac si pater donaret extraneo, & censetur peculium adventitium *arg. g'off. in l. 13 C. d. collat.* Atque hanc sententiam defendunt Gail. *lib. 2. obs. 38. n. 5.* Dan. Moller. *lib. 2. semestr. c. 16. n. 3.* Helv. Ulric. Hunn in *Encyclopedia jur. part. 3. tit. 26. c. 2. n. 9.* Schnobel. *ad ff. diff. 19. n. 20.* Merend *lib. 1. contr. c. 22.* adeò ut spurius ob bene merita hæres possit institui Tiraquell. *ad l. si unquam C. d. revoc. donat. n. 22.* Et ejusmodi donatio à patre donatore facta non subjacet collationi seu in commune illationi, ut communi hereditati permixta inter omnes heredes æqualiter dividatur, quia filiusfam. ea bona, quæ non sibi sed patri acquirit, solummodo confert fratribus vel sororibus *l. ult. C. d. collat.* Jam verò ejusmodi donatio censetur peculium adventitium, quod non confertur *l. ult. C. eod.* meritis tamen habilibus ad firmandam donationem renumeratoriam existentibus Fachin. *l. 5. cap. 2. Wurmser. pract. obs. lib. 1. tit. 42. obs. 1. n. II.*

Donatio facta in carcere vel in periculo si quis constitutus sit, non valet.

§. XI. *Donatio facta in carcere per donantem carceratum non valet* Card. Tusch. *lit. C. conclus. 89. n. 1. & seqq.* & si quis in periculo constitutus mortis causa donat, cessante periculo donatio est nulla *l. 2. ff. d. mort. caus. donat.* Valet tamen si facta est donatio m. c. ob benè meritum v. g. uxori, vel ob vinculum sangu-

gui-

guinis, nam tunc praesens periculum nec unica nec principalis *Secus si fa-*
 videtur causa donationis *Brunnem. ad l. 29. d. donat. m. c. Berl. part. Et a sit ob be-*
 2. decis. 184. ubi n. 10. ait: *Quae assertio (nempe cessante causa pro-* *ne meritum*
 pter quam donatum est, donatio censetur revocata) *notabiliter*
fallit, si praeter considerationem morbi, belli, navigationis, vel alterius
periculi etiam alia causa, puta bene merita vel fidelitas uxoris vel al-
terius donatarii praecessit, tunc remoto morbi, belli, vel navigationis
periculo, donatio ipso jure non revocatur, nisi etiam declaratio volunta-
tis subsequatur, quia hinc bene merita & fidelitas est causa donationis
causa mortis propter morbum, vel bellum, & non morbus & bellum
donationis, sed causa bene meritorum & fidelitatis est per prius, causa
vero morbi vel belli vel alterius periculi per posterius; Sed ita est, quan-
do duo principia reperiuntur, quorum unum est causa alterius, illud
inspicitur tanquam principale l. quidam cum filium §. ult. ff. d. V. O.
Bald. in l. si pecuniam §. C. d. negot. gest. n. 6. post. med. vers. quando
reperiuntur duo & seq. & ita responderunt Jetti Lipsienses ad requi-
 sitionem A. J zu P. Hat eures Weibes Bruder Andreas Frie-
 drich Bürger zu P. am 3. Septembr. anno 1620. Dahero/ weil er
 ins detention Werck erköhren / und auf Churfürstl. Durchl. zu
 Sachsen unsers gnädigsten Herrn befehlich ins Feldlager vor
 Pudissin / fortziehen müssen/ und nicht wissen können/ Ob er wie-
 derkommen möchte / seinem Weibe Catharinen zu Bergeltung
 ihrer Treue/ die sie ihm erzeiget/ alle seine Güter Beweglich und
 unbeweglich in und aufferhalb der Statt/ Schulden und Gegen-
 schulden/ nichts davon ausgeschlossen/ durch eine Übergabe uf den
 todesfall donatio mortis causa genant/ übergeben/ und darneben
 verordnet / daß sie nach seinem Tode seinen rechten Freunden in
 Jahr und Tag nur 30. fl. zugeben/ und zuentrichten schuldig seyn
 sol. Als nun gedachter ener Schwager aus solchem Zuge frisch
 und gesund wieder zu Haus kommen / hat er solche seine Bevord-
 nung in vorigen Stande verbleiben lassen/ und ist in Neuigkeit
 ohne Erben todes verfahren / dahero denn wegen vorerwehnter
 donation Zweifel vorgefallen/ Ob nun wohl exliche Rechtsleh-
 rer der Meinung seyn mögen/ daß dergleichen letzte Willen nach
 Wiederkunfft des jenigen/ so sich ins Kriegswesen begeben/ vor
 sich selbst cassiret und auffgehoben/ Dennoch aber und dieweil
 voro

vorbenannten Andreas Friedrichs donatio mortis causa noch vor
seinem Fortzuge gerichtlichen auffgerichtet/in das gemeine zu der
gleichen Verordnungen deputirte Stattbuch eingetragen/ und
durch sein Absterben nunmehr bekräftiget worden/ der Verstorbene
auch mehr auf die von seinem Weibe ihm erwiesene Treue/
als auff seine Wiederkunfft / sein Absehen gehabt; So bleibt es
auch bey obgedachter Andreas Friedrichs auffgerichteten dona-
tion mortis causa allenthalben billig B. N. W. & ita in iudicio
contradictorio postmodum iudicatum fuisse refert Idem c. l.

Donatio
propter su-
pervenien-
tiam libero-
rum revo-
cari potest.

§. XII. *Donatio propter supervenientiam liberorum*, si nempe
postea Donatori sive sit Patronus, sive alius quidam, qui tem-
pore donationis nullos habebat, liberi fuerint nati, *revocari po-
test l. 8. C. d. revoc. donat* quia ex conjectura pietatis paternæ præ-
sumitur, eum non fuisse donaturum, si nascituros liberos
cogitasset, itaque videtur eâ lege donasse si non liberi
nascerentur Brunnemann. *ad d. l. 8. & licet d. l. loquatur*
*in specie de Patrono, cui, cum liberto donasset, postmo-
dum liberi sunt nati, ad alium tamen donatorem, qui non est pa-
tronus, commodè applicatur, non tam ex verbis, quàm ex le-
gis sententia arg. l. 6. §. 1. d. V. S.* Est enim illa patrono, non ut
patrono, sed ut patri, ob solam liberorum supervenientiam tri-
buta, quæ sententia ut æquior, ita & communior, usuque fori re-
cepta ac in tota Europa obtinet, uti loquitur Giphani. *ad d. l. si
unquam*, eique adstipulantur citati à Finckelthaus *observ. 26. n. 17.*
ubi n. 34. refert, Scabinos Lipsienses ita pronuntiasse D. Philippi
in us. practic. Instit. lib. 2. tit. 7. eccl. 38. Cessat tamen hæc revo-
catio, si fuerit remuneratoria, & ob benè merita facta, non enim
tam donatio est, quàm accepti beneficii compensatio, Schneide-
vvin. *ad § sciendum Instit. d. donat. n. 11.*

Ob B. M.
non potest.

Donatio
propter in-
gratitudi-
nem revo-
cari potest.
Non autem
ob B. M.

§. XIII. *Donatio propter ingratitudinem* revocari potest per l.
ult. C. d. rev. donationibus ibiq. DD. est enim ingratitudo, dicto Au-
gustini, ventus urens, siccans fontem misericordiæ & tollens de-
bitum naturæ: Ast donatio ob benè meritum non revocatur ob
ingratitudinem, textus est elegans in l. 34. §. 1. ff. d. donat. ibi:
*Si quis aliquem à latrunculis vel hostibus eripuit, & aliquid pro eo ab
ipso accipiat: hæc donatio irrevocabilis est, quia illud simpliciter
non habet rationem donationis, sed potius compensationis ac
debiti*

debiti per alleg. Gloss. in l. ult. C. d. revoc. donat. Et hanc sententiam defendunt Menoch. conf. 29. n. 6. Tiber. Decian. vol. 1. resp. 25. n. 35. Schurff. cent. 2. conf. 22. n. 2. D. Richter vol. 2. conf. 97. n. 6. Molina d. justit. & jur tract. 2. disp. 244. n. 7. & 281. n. 12. & Tiraquell. d. l. n. 15. dicit ex Jacob Ardiz in sua summatit. quib. mod. feud. amitt. quod feudum concessum ob benè merita nulla possit ingratitude revocari Garf. tract. d. donat. remuner. n. 9.

§. XIV. Absenti facta donatio non valet, nisi interveniat nuncius ad id destinatus, vel epistola, vel absens donationem acceptaverit l. 10. ff. d. donation. Ricc. collect. decis. 45. Decius consil. 35. ut proinde, si absens, cui donatum est, ante acceptationem decedat, non esse rem donatam heredis judicetur teste Sande lib. 5. tit. 1. d. 1. Potest tamen fieri absenti, si fiat ob benè merita Tiraqv. d. l. n. 65.

§. XV. Donatio, si summam 500. solidorum excesserit, insinuanda h. e. uti hodie loquimur, in iudicio actis inferenda est. §. 1. Inst. & l. pen. §. 3. C. d. donat. qualis tamen insinuatio donationis ex causa fieri potest coram iudice in domo donatoris quando hic est infirmus, nec potest adire iudicem pro tribunali, cum hoc sit voluntariae jurisdictionis gloss. in l. 27. & l. 30. C. d. donat. Non autem necessaria est hæc insinuatio, quando fit ob causam & benè merita, argument. Novell. 119. cap. 1. quia eiusmodi donatio proprie donatio non est Jul. Clar. in §. donat. q. 3. scil. si merita sint æquipollentia, & quidem præterita gloss. in l. aquilius 27. de donat. Circa quam donationem meritorum causa factam notat Mynsinger. cent. 4. observ. 75. non sufficere in literis exprimere generalem clausulam (pro meritis & servitiis mihi impensis) quia per hanc clausulæ adjectionem quilibet posset eludere insinuationem, sed quod magis id spectari debeat, quod in veritate subsistit, quàm quod simulant partes l. si forte ff. d. castrens. pecul. Hinc ut æquipollentia eo magis probari possit, opus est, ut in instrumento donationis nominatim exprimaturs causa, obsequium, meritum, & officium, quare, & propter quod talis remuneratoria donatio fiat, Angel. Perus. in d. l. aquilius. add. Joh. Aloysius Riccius in collectan. decis. collectan. 177. Gail. 2. obs. 39. n. 14. Pinellus ad l. 1. C. d. bon. matern. num. 62. Bachov. ad

Absenti facta donatio non valet.

Secus si facta sit ob B. M.

Donatio quæ excedit 500. solidos, insinuanda est.

Secus si facta ob benè merita.

Trentler. vol. 2. disp. 19. th. 3. lit. E. idque in praxi obtinere testan-
 tur D. Richt. vol. 2. consil. 297. n. 6. D. Carpz. p. 2. c. 12. def 15. ubi
 Scabini Lipsienses in causa Joh. Billichraths zu Rudelstadt re-
 sponderunt: Dieweil aber dennoch selbige donatio zu Erge-
 hung der geleisteten Dienste geschehen / und also pro donacione
 remuneratoriâ zu achten zc. So ist sie auch ohne Gerichtliche
 insinuation zu Recht beständig / B. N. W.

CAPUT III

DE

VACATIONE MUNERUM OB BENE MERITUM.

THES. I.

*Ad tutelam
 & curam
 invitatus pot-
 est quis cogi.*

*Qui reipub-
 licæ causa
 absunt ob
 benè merita
 excusantur.*

Bene merita sæpius liberant à muneribus personalibus. Sic
Tutelam & curam posse alicui etiam invito demandari, adeo
 ut tutor vel curator statim atq; sciverunt vel cognoverunt
 se datos, vel constitutos, gerere atque administrare tutelam vel
 curam debeant, & si administrationē suscipere nolint, possint ad
 hoc cogi, & si cessaverint, suo periculo cessent textus est *in l. 1. in
 pr. d. administr. tutel.* Imò si magistratui id exponatur, is execu-
 tivè procedit, & tutorem vel curatorem ad suscipiendam admi-
 nistrationem coercet, aut pignoribus captis, aut multâ indictâ,
 vel per missionem in possessionem bonorum, vel per incarcerationem
 Gothofred. *ad d. l. 1. §. 1.* Ab hac tamen susceptione tu-
 telæ immunes sunt *qui Reipublicæ causa absunt*, atque sic de re-
 publ. benè merentur, non tantùm dum absunt, sed etiam quan-
 do revertuntur; A suscepta enim tutela, quamdiu Reip. cau-
 sa absunt, excusantur, dato interim loco eorum curatore §. 2.
*Inst. d. excusat. tutor. l. filiusfamil. §. fin. ff. d. procur. l. 2. C. si tutor.
 vel curat. reip. caus.* Reversi verò ad novam tutelam vocati ha-
 bent anni vacationem §. 2. *Inst. l. 10. ff. d. excus. tut. l. 2. si tut. vel
 cur. reipubl. caus.* Qui ultra mare reipublicæ causa absunt, o-
 mnino, sive in perpetuum excusantur, sive deponunt tutelam,
 non secus atque ii, qui circa Principem sunt occupati, ut tradit
 Ulpian, *in l. verum §. ex facto. ff. d. minor,* Th. II,

T. H. II. Quamvis propter publicam utilitatem ac salu- *Onera civi-*
 tem reipublicæ onera civibus imponi debeant, & universi omni- *bus imponi*
 no ex Comitibus, vel ex præsidibus, qui suffragio perceperint *debent.*
 dignitates, civilibus oneribus muneribusque teneantur adstri-
 cti, ne commoda publica cum umbratili suffragiorum pactione
 lacerentur. *l. 4. C. d. legat. Legati* tamen qui in commodum republi- *Legati ta-*
 cæ legatione functi sunt feliciter, ob benè meritum non cogun- *men ob B. M.*
 tur in partem publicorum onerum & negotiorum venire per to- *habent va-*
 tum biennium. *l. 8. ff. d. legat. add. l. 12. d. vacat. & excusat. l. 8. ff. de legat. cationem.*
 Alciat. Rebuff. & Englermæ in *l. 2. C. d. mun. & hon.* Quibus accen-
 sentur Consilarii Principum etiam inferiorum *l. non minus C. d. as-* *Consilarii*
essorib. ibi expressè dicitur: Omnes majorum magistratum, illu- *Principum,*
strium & eminentissimorum virorum Consilarios, seu officiis jam fun-
cti sunt, seu fungentur in posterum, post depositum etiam officium, ab
omni indictionis onere civilium seu militarium judicum prorsus im-
munnes esse præcipimus: ut nec ulla molestia super suscipiendo quoli-
bet gravamine penitus injungatur. Cujus sanctio quinquaginta
libras auri continet, quia censentur Pars Corporis l. quisquis C.
d. crim. les. majestat. & cum ipso principe unum quasi corpus
 constituunt & dicuntur inhærere Principi, sicut stellæ firmamen-
 to, & principem ita decorare reputantur, prout decorant radii
 solares solem Reink. *d. R. S. & E. ib. 1. class. s. c. II. n. 66.* Hisce quoque
 annumerantur *Professores, Doctores, Licentiati & Advocati,* de qui-
 bus in *l. 14. C. d. advocat. 2.* dicitur, quòd humano generi & Reipu-
 blicæ maximè profint, tum defensionis suæ viribus in rebus sæpe
 publicis & privatis lapsa erigant, fatigata reparent, atq; gloriosæ
 vocis munimine confisi laborantium spem, vitam & posteros de-
 fendant atque de Republ. benè mereantur *add. l. 5. l. 6. l. 17. §. fi-*
nal. C. d. advocat. divers. judicior. D. Tabor d. metat. p. 3. cap.
2. art. 2. n. 4. Quæ immunitas tamen ad personalia munera
 spectat, ne ludibrio aliorum exponantur *l. un. C. si propter inimi-*
cit. lib. 10. Wesenbec. consil. 40. n. 64. l. 6. C. d. profess. & medic. ad
 contributiones verò & onera ob bellum vel aliam necessitatem
 inevitabilem indicta vacatio munerum regulariter non exten-
 ditur, quod testantur Imperii Recessus, qui neminem quo quo-
 modo etiam immunitatem habeat, à Turcicis & consimilibus
 con-

Doctores
Bullati.

contributionibus immunem esse volunt R. J. d. anno 1495. 1500.
1542. & 1613. §. nachdem es nun 2c. ibi: Geist- und Weltliche sie
seyen exempt oder nicht exempt, gefreyet oder nicht gefreyet / nie-
mand ausgenommen / quia necessitas non habet legem, & tunc
omnia privilegia dormiunt Gail. lib. 2. obs. 52. n. 26. Heig. part.
1. qu. 18. n. 26. Quid de Doctoribus, quos vocant Bullatos, seu à
Comite Palatino creatis statuendum, num iisdem privilegiis
gaudeant? Affirmat. modò prævio examine sunt probati, l. 7. C.
d. profess. & medic. Treutler, vol. 1. disp. 1. th. 7. lit. A. Limnæus d.
jur. publ. lib. 8. c. 8. n. 13.

Q. Num
Nobiles à
collationi-
bus bellicis
sint immu-
nes.

TH. III. Q. Num Nobiles à collationibus bellicis tanquam mu-
neribus realibus sint immunes? Et quamvis benè merita Nobili-
um heic utramque paginam facere videantur, cum constet E-
questrem ordinem belli onera olim solum portasse, ac propterea
hanc immunitatem à tributis acquisivisse, quia nemo nisi No-
bilis militabat. Ex quo non honestum sit, ut illi quorum ma-
jores in regno acquirendo Reges juvissent, atque de Regno be-
nè meriti essent, censibus & tributis, quæ ad bellum conferun-
tur, obnoxii sint; Quod Sebastiano Regi Lusitaniæ Nobiles re-
plicasse dicuntur Klock d. contribut. cap. 14 sect. 1. n. 49. Et pro-
bant exempla Nobilium Francorum, Polonorum, quod confir-
mat Cramer. lib. 21. rer. polon. col. 1. p. 316. In Polonia, inquit,
quoscunque agros eques colit: ex his canapale non solvit: neque con-
vehit curru suo decimam: neque in eo delectum sacerdos habet: nisi da-
ta opera vitiosum frumentum relinqueretur ab equite. Et pro hac
negativa pugnant Arnif. lib. 3. d. Jur. Majestat. c. 7. Gvid. Pap.
quest. 169. 184. & 387. Petr. Gregor. Tholosan. in syntagm. lib. 3.
cap. 8. n. 5. Hippol. von Freispach in tract. von unburgreiflichen
Bedencken über etliche Fragen der freyen Reichs-Ritterschafft
in Schwaben/Francken und Rheinstrom/Stand und Session be-
treffent quest. I. num. 189. & seqq. Verum contraria senten-
tia D. Hahnii in Disp. d. hospitacion. militar. th. 65. & Disput. de
collat. bellic. th. 96. & disput. d. jur. nobil. singulari th. 32.
nobis placet, ita verò ille: Quod si concedimus rectè fieri (sc.
Nobiles ex militum immunitate exemptione onerum gaudere)
verint,

non major illorum libertas erit, quam cuiusvis veterani & non minus quam hi patrimonialibus oneribus obligabuntur, nec gaudebunt exemptione personalium munerum nisi actu militaverint, Christineus *in consuetud. feud. decis. 18. num. 7. 8. & 9.* alias Nobiles nullibi à collectis excusantur, Marpurgens. *in Respons. n. 118.* Cæterum cum duplicia sint Nobilium bona, quædam feudalia, quædam allodialia, haud facile fortassis erit definire, an etiam de utrisque onera præstare debeant? Quantum ad hæc attinet, certum est jure justiniano Nobiles æquè cum plebejis patrimonialibus obnoxios esse *arg. l. & qui origine 3. §. 1. l. rescripto 6. §. ult. ff. d. muner. & honor. l. sunt munera ff. d. vacat. & excus. mun. l. 3. l. 9. & l. fin. C. de muner. patrim.* Bocerus *d. collectis cap. 11. n. 34.* Quoad illa verò Nobiles subditi immunes sunt ab ordinariis collectis. Nam de feudis in territorio sitis, quia domino servitium præstant, ad ordinaria non tenentur: nec duplici onere gravandi *arg. l. Titia 34. ff. d. legat. 2.* Christin. *in consuetud. feud. decis. 16. n. 5.* nisi provinciarum consuetudo aliud jubeat, Carpzov. *lib. 4. tit. 10. resp. 70 n. 21.* Sed & extraordinaria tributa, quæ inopinatus casus & summa necessitas exposcit, Vasallos æquitas jubet & necessitas cogit non solum de allodialibus, sed etiam feudalibus bonis exsolvere. Commune siquidem est periculum, nec magis ignobiles quam Nobiles concernit, propterea etiam omnes Vasalli subditi, & qui alias exemptionis privilegio muniti sunt, urgente summa necessitate collectis illis extraordinariis subjiciuntur, uti in Imperii Recessibus prolixè satis constitutum reperimus, R. R. anno 1544. §. nemlich sollen ibid. Sie seyn Lehen oder eigen ic. §. damit aber solches/ ibi, die seyn Lehn oder eigen. Nam privilegia ad casus necessitatis, quæ legem nullam admittit, extendenda non sunt. Præclarè quippe Aristoteles *Metaph. 5. cap. 5.* Necessitas, inquit, videtur inevitabile quiddam esse: contrarium voluntario & secundum cogitationem motui est. Item quod non contingit aliter se habere, necesse dicimus ita se habere: & secundum hoc necessarium cætera quoq; omnia dicuntur esse necessaria. Nam & ipsum necessarium aut agere aut pati tunc dicitur, cum contingat propter illud, quod vim infert, secundum propositum,

D feri,

feri, tanquam illa existente necessitate, propter quam non contingat aliter, & in iis, quæ concausæ sunt vivendi, & boni sunt similiter. Et hæc est necessitas, quæ utilitate, publica suffulta licitum reddit, quod aliàs illicitum. Nec omni ex parte verum, est, quod de duplici onere, quò præ reliquis graventur, objiciunt. Hoc enim axioma tantum prohibet, cuidam ob unam & eandem causam, ex quâ ipse simplex debet præstare, duplex onus imponere. Hic enim duæ & diversæ sunt obligationes & causæ, ex quibus duplicia onera sustinenda: scil. servitia militaria, pro accepto feudo, qua vice ordinariorum sunt, & extraordinariæ quoque collectæ, ob adventitiam necessitatem. Nec magis duobus oneribus gravantur, quàm alii qui feudum nullum habent; hi enim præter ordinaria tributa, juxta cum illis pecuniarias contributiones exolvere coguntur, ut optimè explicat Benedict. Carpzov. *lib. 4. tit. 10. respons. 71. n. 4.* Textus quoque aperti sunt, quibus immunes ob oneribus ordinariis ad extraordinaria ob publicam necessitatem imposita adstringuntur. *l. 2. C. d. quib. muner. nem. se lic. excusar. l. 1. C. ut nem. lic. in empt. spec. se excus. l. jubemus 11. C. d. sacros. eccles. Heiz. part. 1. qu. 18. num. 16. Rosenthal. d. feud. cap. 5. concl. 86. n. 3. Petr. Frider. Mindan. d. mandat. lib. 2. cap. 45. 14. Carpzov. d. tit. 10. resp. 75. n. 17.* Hancque sententiam non modò Cameralis judicii usum, sed & consuetudinem totius Germaniæ passim receptam comprobasse testatur Mynsing. *4. observ. 70. n. 6.* Svadet illud ipsa æquitas naturalis; & quemadmodum publica tranquillitas & beatitudo omnibus exemptis & non exemptis est communis, ita quoque omnes omni velamento privilegii penitus remoto ad ipsius conservationem naturali vinculo adstringuntur. Urgente igitur necessitate omnes gravari debent, quia sicuti commune est periculum tam privilegiatis quàm non privilegiatis, ita ejus averfio communis esse debet.

*Non solum
ipsi Nobiles
Professores
DD. sed et
iam ipsorum.*

TH. IV. Tantæque est efficaciam bene meritum idque secutum privilegium, ut non solum ipsi Nobiles, Doctores &c. gaudeant vacatione munerum, sed etiam ipsorum Viduæ & Liberi, per *l. Medicos 6. C. d. professor. & medic.* quæ Professores, Legum Doctores & aliarum facultatum unâ cum uxoribus & liberos

beros

bēros immunes esse vult. Non enim illa tantum conjux est, *Vidua* & ha-
cujus maritus adhuc vivit, sed etiam quæ mortuo illo in vidui-
tate constituta est l. 3. C. d. privileg. Schol. lib. 12. & in viduitate *ant uaca-*
dicitur, in priori matrimonio permanere l. ult. C. d. bon. matern. *tionem mune-*
præcedensque conjugium tamdiu durare, quamdiu viduitas *rum*
Nov. 22. cap. 20. §. 1. imò defuncti viri imago, in qua vir mor-
tuus vivit *Sebast. Medic. tract. mors omnia solvit part. 3. n. 105.*

CAPUT IV

DE

ACTIONIS ET EXCEPTIONIS CESSATIONE OB BENE MERITUM.

THES. I.

CAusa meritorum tanta est tamque prægnans, ut faciat *Vasallus Do-*
quandoque cessare actionem & exceptionem; Idque acci-
dit vel in totum vel in tantum; seu vel tota actio vel exce-
ptio eliditur, vel agens excipiensve minus consequitur quam in-
tendit, seu quod debitum est. Sic *Vasallus* non solum naturaliter, *Non autem*
sed etiam vi juramenti fidelitatis, in quo Domino suo defensio-
nem, incolumitatem &c. 2. feud. §. 6. & 7. promittit, necessitati *si ob benè*
bus Domini subvenire tenetur 2. feud. 26. §. licet. eis facultati-
bus lapsa alimenta præbeat sub amissione feudi *merita feu-*
arg. l. 1. C. 1. o-
per. libert. Pontan. d. aliment. c. 11. n. 3. Ast cessat hæc actio si
dum acce-
Vasallus feudum non gratis, sed propter benè merita acceperit,
nec ad alimenta præstanda tenetur, quia potius mercedis loco
æstimatur, *Schneidevv. p. 8. c. 2. epit. feud. n. 112. §. 116.* ubi ait:
Non procedere (i. e. ut Vasallus Dominum teneatur alere) *si Va-*
sallus feudum non gratis, sed pro pretio, vel meritis æquivalentibus
acquisivisset. & Faber. de aliment. c. 2. p. 47. vers. idem juris existi-
mat, maximè id obtinere, si feudum magis ad servitia præstan-
da, quam ad remuneranda insignia merita sit concessum.

TH. II. *Fidejussor* solvens creditori adversus debitorem,
habet mandati actionem, hac enim agitur ad id, quod ob susce-

D 2

ptum

ptum mandatum abest l. 20 ff. mandat. Si verò creditor remittit
 debitum vel in totum vel pro parte, cessat actio l. 10. §. fin. l. 12.
 ff. eod. Hoc tamen fallit, si donatio fidejussori ob bene merita &
 si remunerandi animo facta sit remissio l. 12. ff. eod. ubi expresse
 distinguitur, an principaliter donandi, an remunerandi animo
 facta sit remissio; quia hoc casu ob servitia præstita aliquid abest,
 sed eo casu non l. 9. §. ff. pro socio. illo verò cum nihil quicquam
 abesse creditur, nihil actionis esse censetur. Colleg. Argentor. tit. d.
 mandato th. 39. n. 8. Hoc autem notandum, quod quando fide-
 jussor non per solutionem realem se liberavit, nec ob servitia
 præstita liberatus est, non possit agere contra confidejussorem,
 aut debitorem Pinell. d. bon. matern. p. 3. l. 1. n. 61. p. 376. Dona-
 tio verò præsumitur, ob benè merita præcedentia, si ea probata
 Menoch. d. arbitr. jud. quest. casu 88. num. 53. Malcard. d. probat.
 concl. 560. n. 10. quod explicat Tiraquell. ad l. si unquam in verb.
 donatione largitus n. 80. d. revoc. donat. si donatio præsumta meri-
 tis æquivaleat, ratione verò excessus est pura donatio. Brunnem.
 ad l. 17. §. 8. ff. mandati.

Donator
conventus
habet exce-
ptionem in-
competen-
tie.
 TH. III. Donator gaudet beneficio competentia seu non te-
 netur solvere ultra quam facere potest, Ita enim Paulus in l. 19. §.
 I. d. re judic. inquit: qui ex causa donationis convenitur, in quantum
 facere potest, condemnatur idem dicitur in l. 41. in fin. d. re judic. l.
 12. l. 33. ff. d. donat. l. 28. d. Reg. Jur. §. 38. Inst. d. action. Incivile
 enim esset, illud, quod ipse ex liberalitate promisit, tam rigidè &
 avarè exigere, omniaque, nec alimentis relictis, donatori aufer-
 re, ut ex sua liberalitate inops factus periclitetur l. 50. ff. d. re ju-
 dic. Cessat autem hæc exceptio, si facta sit donatio ob benè me-
 rita, quia ille tantum gaudet beneficio competentia, qui ex do-
 natione propriè dicta convenitur, docente id Bachovio ad §. 38.
 Inst. d. action. Everhard. Bronchorst. ad l. 28. d. R. Jur. addat. D.
 Præses ad eand. legem. Jam verò donatio ob benè merita facta
 non est simplex donatio sed propter causam & sic impropria, &
 ita sentit Tiraquell. d. l. n. 58.

Ob bene
meriti ra-
tionem gan-
gatas.
 TH. IV. Ob eandem benè meriti rationem cessat etiam a-
 ctio in totum adversus milites tam sagatos seu armatos quam to-
 gatas. Quoad illos, militantes sc, tanta eorum censetur digni-
 tas,

tas, atque benè meritorum celsitudo, ut qui in acie pro Republ. *dent benef.*
ceciderunt, in perpetuum per gloriam vivere intelligantur *compet. Mi-*
Inst. d. excus. tut. Num autem miles militi debens in plus quam *ites.*
facere potest, teneatur, quæritur? Et respond. privilegiatum,
contra æquè privilegiatum non uti suo privilegio. Quod ad mili-
tes *togatos Doctores, Professores, Advocatos* extenditur, eorum enim
merita in Rempublicam non exigua sunt, non minus enim hi hu-
mano generi provident, quàm qui præliis atq; vulneribus patriã
parentesque tuentur *d. l. 14. C. d. advocat. divers. jud. Manz. in tr. d.*
patroc. debit. dec. 3. q. 1. Ubi tamen hoc monendum, quod bene-
ficiu, quod vocant competentia jam memoratis personis non
tam ex veritate juris theoricæ, seu quod probari possit legem,
quæ velit ejusmodi concessionem, adesse, sed id usu potius obti-
nere, seu quæ ratione beneficii competentia dicuntur, de toga-
tis militibus dici posse per interpretationem usualem *Tusch;*
concl. tom. 6. lit. P. conclus. 732. Sixtin. d. regal. lib. 1. c. 5. n. 108. at-
que in judiciis ista sententia obtinet, uti *Carpzov. p. 1. c. 32. def. 18*
testatur Dnn. Lipsienses ita pronunciasse: *Denen Illustribus,* *Clerici, No-*
Adels- Personen/ Doctoribus, Clericis, auch auf dem Sächsis- *biles.*
chen Boden gleiches falls/und nicht weniger/als den Kriegsleu-
ten zustehet: Koppen, usu pract. Inst. lib. 2. obs. 95. Quod benefi-
cium non solis Doctoribus Juris, uti vult *Berlich. p. 1. concl. 80.*
n. 53. sed etiam Theologiae, Medicinae & Philosophiae competit,
nam & hi de republica benè merentur, & uti *Carpzov. d. def. 18.*
n. 6. inquit: *Theologorum labores generi humano longe magis sunt*
proficui, quàm unquam fuit studium maximi etiam feli. Non ta-
men benè meritorum extensio fieri potest ultra mentem legisla-
toris vel interpretationem usualem, aliàs sequeretur, quod o-
mnes qui benè mererentur, possint uti privilegio competentia,
quod nemo affirmabit.

TH. V. *Donatarius*, si res donata ipsi sit evicta, h. e. ab eo
sine facto & culpâ ope judicis alii adjudicata, acturus adversus
donantem, repellitur ab hoc, exceptione: *Tibi adversus me non*
competit actio, quia jus evincendi ex lucrosis non prodit, & licet
res evincatur, tamen regressus adversus autorem non datur,
cùm mens contrahentium in his negotiis longè alia sit, quàm in

Donatario
evictionis
præstatio-
nem opponi-
tur exceptio

Cessat in do-
natione ob
B.M.

onerosis; neque liberalitas tradentibus vel concedentibus a-
liquando sit futura damnosa & nociva *arg. l. 62. ff. d. edilit. edict. § l.*
49. ff. d. rejudic. & in specie de donatario textus est in *l. 2. C. d.*
evict. l. 18 ff. § fin. ff. d. donat. l. 131. §. d. V. O. neque distinguen-
dam est inter donatorem omnium bonorum, & inter quorun-
dam sive singularium, secundum Boer. *decis. 33. n. 26.* Ast ces-
sat hæc exceptio, si facta est donatio ob bene merita, tunc dona-
tor de evictione tenetur, quia hæc donatio improprie donatio
est, nec regulis donationis continetur, uti late disputat & probat
Boer. *decis. 67 n. 1.* Anton. Fab. *in Cod. lib. 8. tit. 36. def. 3. num. 2.*
Carpzov. *p. 2. c. 34 d. 24.* Vocatur enim in legibus passim re-
muneratio merces quædam & pretium officii *l. si pater 34. §. 1. d.*
donat. ita ut quod de præstanda evictione statutum est, ad dona-
tionem quæ ob bene merita non fit extendenda, ita statuunt
Svarez *in thesaur. commun. opin. lit. D. n. 242.* Tennin. *tract. de*
cautel. 53. n. 4. pro qua sententia quoque facit elegans textus *in l. 10.*
§. fin. juncta l. 12. in pr. mandati, ubi Ulpianus disertis verbis in-
ter donationem remunerandi causa & simpliciter factam distin-
guit; & *in d. l. 10. §. fin.* fidejussori ex causa donationis remune-
ratorie per acceptilationem liberato actio mandati, quæ non
datur nisi quatenus interest agentis *l. 8. §. 6. eod. tit.* concedit, in
dicta verò *l. si uno 12.* per simplicem donationem liberato dene-
gat; ex nulla alia causa, quam quod priori casu, dum fidejussori
aliquid abest, obligatio scilicet antidotalis, quam creditor cum
debito compensavit, seu cujus intuitu fidejussor pro eo solvisse
censetur, ejus interest; posteriori, dum neque ipsi aliquid abest,
neque creditori adest nihil interest, uti infert D. Franzk. *ad tit. ff.*
d. evictionib. n. 511. atque hanc sententiam tanquam communem
amplectuntur D. Struve *syntagm. jur. civil. exerc. 27. th. 17.* Gravett.
consil. 64. num. 12. Vivius *lib. 1. opin. 80.*

Promissioni
sine causa
opponitur
exceptio do-
li mali.

TH. VI. Cum nulla subest causa, præter conventionem,
obligationem non posse constitui indubitati juris est, per tex-
tum *in l. 7. §. 4. ff. d. pact.* adeo ut nec promissio illa causæ ex-
pressionem carens ob stipulationem adjectam valeat, per *l. palano*
2. §. circa ff. d. dol. mal. & met. except. ibi: Si quis sine causa ab ali-
quo fuerit stipulatus, deinde ex ea stipulatione experiatur, exceptio
utique

utique doli mali ei nocebit. Idque porro probatur exinde, quoni-
am stipulationes obligationum firmandarum gratiâ inducæ
sunt *l. 5. pr. ff. d. V. O. l. 27. cum seq. C. de pact.* firmari autem non
rectè dicitur id, quod plane non subsistit, sed potius quod subsi-
stit quidem, firmamento tamen indiget Bachov. *ad Treutl. vol. 2.*
disp. 27. th. 1. lit. A. Cessat tamen ista exceptio doli, quando fa-
cta est promissio ob benè merita, cum sola conditio sufficiat pro
causâ *l. 37 ff. si cert. petat. Jason. in l. ex hoc jur. ff. d. 3. & 3.*

TH. VI. Cessat quoque actio injuriarum & remissa cenle-
tur vindicta, si injuriatus ab injuriante benè meritis fuerit affe-
ctus eaque susceperit; ex meritis quippe præsumi aliquem esse
placatum probatur ex *l. 5. C. famil. hercisc.* Tiraquell. *in l. si un-*
quam n. 51. C. d. revoc. don. Brunnem. *add. l. 5.* Quod extendunt
quoque DD. ad filium, qui ingratitude commisit, is verò
benè merita exhibuerit, ut propterea ingratitude præce-
dentem sublatam asserant, Bald. *ad l. 28. C. d. in offic. testam.* Ti-
raquell. *d. l. n. 51.*

Cessat ob
B. M.

Remissa
censetur
injuria ob
accepta be-
nè merita.

CAPUT V

DE

INTERPRETATIONE

circa

BENE MERITUM.

THES. I.

Circa interpretationem vel Rescriptorum vel contractuum
aliorumq; negotiorum id animadvertimus, quod plenissi-
mè illorū circa benè meritum fiat interpretatio. Sic leges &
constitutiones suâ naturâ sunt generales, & ad omnes pertinent
& in communi absq; complexu personarum spectant ad omnes
Wesenb. *n. 3. ff. d. legib.* Jura enim non in singulas personas, sed
generaliter constituenda. *l. 1. & l. 8. ff. d. legib.* debentque ab o-
mnibus æqualiter observari licet leges uni personæ in corpore
paris sint inscriptæ Brunnem. *ad l. 8. ff. d. legib.* Verùm quod Prin-
ceps

Leges suâ
naturâ sunt
generales.

ceps

Quod verò Princeps ob meritum indulget, personam non transgreditur §. sed & Princeps ob quo d. Principi placet Inst. d. jur. natur. gent. & civil. seu, si Princeps meritum indulget, personam non transgreditur.

do n. v. q. p. de accip. de accip. de accip.

Privilegium, in præjudicium tertii vergeri non debet.

Excipitur id quod ob B. M. concessum est.

de leg. l. 1. de leg. l. 1. de leg. l. 1.

ceps ob meritum indulget, personam non transgreditur §. sed & Princeps ob quo d. Principi placet Inst. d. jur. natur. gent. & civil. seu, si Princeps meritum indulget, personam non transgreditur. ob egregia in Rempubl merita alicui privilegium & immunitatem concesserit, hæc immunitas ad alios, qui eadem merita præstant, non extenditur, quia quod alicui gratiosè concessum est, ab aliis non debet trahi in consequentiam c. 74. d. R. J. in 6. Manz. ad d. §. sed & Neque obstat, quòd in l. 3. ff. d. constit. princip. dicatur beneficium Imperatoris plenissimè intelligendum esse. Aliud enim est plenissimè interpretari, nec coangustare, ad casum verò existentem, vel parùm proficientem: Aliud communicare aliis. D. Strauch, dissert. de Constitutionib. §. Statut. à summo principe th. 46.

TH. II. Quamvis Princeps Privilegium, quo Jus tertii imminuitur, aut ei acquisitum auferitur, concedere nequit, nec privilegium quod vergat in alterius injuriam, dare debet, quia non conveniens est, ut inde nascatur injuriæ occasio, unde jura oriuntur l. prætor ait. §. si quis 16. C. ne quid in loc. publ fiat. l. 2. C. d. precib. Imper. off. adeo ut non valeat privilegium, quod continet præjudicium vel damnum tertii, quamvis in privilegio adjecta sit clausula: *ex certâ scientia*, vel: *non obstantibus quibuscunque aliis juribus aut privilegiis*, Item: *ex plenitudine potestatis & similibus*, effectus tamen privilegii edere nullatenus possit Gail. lib. 2. obs. 58. Enenckel, tr. d. privileg. lib. 2. c. 5. num. 58. Valet tamen privilegium just tertii lædens, si datum sit ob egregia in Rempublicam merita, cum utilitas publica præferenda sit jacturæ subditorum l. unic. §. hæc autem omnia 14. C. d. caduc. toll. vel leve præjudicium, aut modicum incommodum tertii contineat Gloss. in l. 14. in fin. ff. d. servitut. arg. l. 2. C. d. precib. Imper. off. rend. Tuschus practic. conclus. tom. 6. conclus. 729.

TH. III. Equidem Statuta non comprehendunt forenses, seu extraneos, actus enim jurisdictionis non potest in non subditum exerceri Pacian. consil. 5. n. 8. Cravetta conf. 195. n. 1. Sed sicuti jus civile non nisi cives Romanos obligat §. 1. Inst. d. jur. nat. gent. & civ. ita nec Statutum alicujus Provinciæ vel civitatis homines extraneos, qui incolæ non sunt constringere potest. Baldus in l. conclus. populos n. 3. & 8. C. d. summ. Trin. Ast quando forenses ob benè

merita gaudere possunt beneficiis, ad eos tanquam subditos valet interpretatio; v. g. Si subditis præmium pro defensione fortalitii in casu obsidionis promissum esset, forensis verò seu extraneus benè mereretur de civitate, interpretatio benignior atq; laxior hoc in casu locum habebit; ita ut comprehendantur præter forenses, etiam aliàs inhabiles, idque propter merita Tiraquell. *ad d. l. si unquam in verb. donatione largitus C. d. revoc. donat. n. 49.* qui refert Baldum dicere, quod aliàs incapaces beneficiorum suæ civitatis ipsum quoque præmium accipere debeant. Vel si prohibitum sit forensi accipere possessionem in civitate: tamen propter singulare meritum, ut quia operatus est in recuperatione alicujus castri rebellantis, potest hoc ei concedi Tiraquell. *l. c. n. 39. § 49.*

Th. IV. Actus licet in dubio non præsumatur donatio *l. cum de debito d. ff. probat.* quia nemo suū jactare præsumitur, & solvens regulariter præsumitur debitor Mascard *d. probat. conclus. 1327. n. II.* Si tamen benè merita præcesserint, & intuitu eorum quid factum probari possit, interpretatio fit, ac sit donatio simpliciter facta Bald. *in l. qua dotis ff. solut. matrim.* Tiraquell. *d. l.*

Th. V. Ubi mentio mortis in donatione facta est, ea præsumitur mortis causa donatio *l. 42. ff. d. mort. caus. donatione* quia vocabulum mortis hanc præsumtionem inducit: magis enim verisimile est, mortis causâ donationem factam, quam inter vivos, cum illud verbis exprimatur, hoc non item; propositum verò in mente retentum non attenditur *l. 7. C. de condict. ob. caus.* Obrecht *d. mort. caus. donat. th. 86. § seqq.* Quando tamen donatum est bene merito seu bene merita præcesserunt donatarii, præsumitur donatio inter vivos, ut ita sit efficacior Tiraquell *ad d. si unquam verb. donatione largitus n. 54.*

Actus in dubio non præsumitur donatio.

Ob B. M. donatio præsumitur inter vivos.

Th. VI. Quando quis legasset centum animarum Pastori in urbe quadam, in qua alius non est, videtur pastori illius loci tanquam pastori legatum, h. e. ut omnes successores in officio eo uti frui possint, quemadmodum civibus civitatis indefinè legatum & fideicommissum datum civitati relicum videtur *l. est. 2. ff. d. reb. dub.* Si tamen pastor de defuncto benè & singulariter sit meritis, rejectis omnibus causis, id præsumitur relicum favo-

E

re

re & respectu personæ, non officii sive sacerdotii Bald. *conf.* 194.
col. 1. in fin. lib. 2.

Ob B. M.

injuria tolli-
tur.

Th. VII. Quilibet præsumitur vindicare injuriam sibi il-
latam, cum nemo existimetur prodigus famæ suæ; Si tamen be-
ne merita ab offensa parte accedant, interpretatio facienda est,
ac si remissæ sint injuriæ per *l. 5. §. ibi DD. C. fami. herciscunde Ma-*
scard. d. probat. conclus. 902. n. 27. Exemplum extat apud Greg.
Turonens. histor. Franc. lib. 9. c. 11. & Cicer. in epist. ad Attic. 11. lib.
9. in pr. Nemo enim inimico suo benefacere velle præsumitur *l.*
9. ff. d. his. quæ ut indign. l. 3. ult. l. 31. §. 2. ff. d. admin. leg. Siquidem
beneficium & injuria sunt contraria Seneca *lib. 3. d. benef. cap.*
22. §. lib. 4 c. 5. ac sicut beneficium injuria, ita injuria beneficio
tollitur Idem *l. 6. c. 5.* Idem est, si is, qui injuria alterum affecit, be-
nemerita conferat, præcedens injuria remissa censetur, cum non
solum verbis, seu & tactis remitti possit injuria Bachov. *ad §. fin.*
Inst. d. injur. Unde concludunt, quando filius exheredatus talia
bene merita contulerit in Parentem, quòd animus ejus flexus
& mitigatus censi possit, Bald. *ad l. 28. C. d. inoff. testam.* Dis-
sentit Iason *ad l. 23. ff. d. lib. & posth. n. 7.* qui putat, exhæreda-
tione solenniter facta reconciliationem nihil operari, nisi etiam
solenniter testibus septem sit confirmata, quia quælibet res eo-
dem modo dissolvitur, quo ligata fuit *l. 35. ff. d. R. 7.* Sed re-
spondet D. Gerhard. *in dissert. inaug. de Justa mortuorum senten-*
tia in proprium sanguinem ad Nov. 115. c. 3. §. 21. n. 13. cum
hic negotium sit inter patrem & liberos, non ita rigorosè solen-
nitates esse necessarias.

Privilegi-
um ob B. M.
censetur
reale non
personale.

Th. VIII. In dubio privilegium præsumitur non reale, seu
quod rem respicit, sed personale, quod propter solam personam
conceditur, uti communiter statuunt; cum privilegia sunt stri-
ctissimi juris *l. 21. ff. d. testam. milit. l. 162. ff. d. R. 7. c. 8. X. d. privileg. &*
excess. privileg. strictam quoque interpretationem recipere de-
bent. Si tamen ob benè merita concessum est privilegium, in du-
bio non personæ solum sed & heredibus ejus prospicere voluisse
conferentè præsumitur *l. 9. ff. d. probat. l. 8. §. 4. ff. d. pignor. act.* Rosen-
thal *tr. d. feud. c. 5. concl. 85. n. 6. lit. K.* Hinc privilegia filiis simul con-
cessa, suâ naturâ ad nepotes non extenduntur; Si tamè cuiquam &
ejus

ius filiis sit concessum ob bene merita, haud dubie intelligitur de nepotibus, quia in remuneratoria causa latè debet fieri interpretatio Alexand. in l. 3. in pr. ff. quod quisq. jur.

CAP. IV

DE

MITIGATIONE POENAE OB BENE MERITUM.

THES. I.

Quamvis Judex non debet esse clementior vel severior *Bene Meri-*
ge c. oportet 10. Novell. d. iudicibus sed poenam à jure præ- *tum in mi-*
scriptam sequi arg. l. 8. §. 2. C. ad L. Jul. d. vi publ. Exi- *rigandis po-*
mia tamen virtus & bene meritum, qua alias excellit delin- *nis attendi-*
quens, in mitigandis poenis solent non leviter attendi, uti si de *tur.*
patria benè meritus sit, si hostes prodiderit, aut ostenderit mo-
dum & rationem defendendi bonum publicum. Sic refert Lu-
dovicus Bolognetus poena ordinaria fuisse liberatum, quod con-
sulem indicasset, ei vitæ strui insidias. Andreas Barbona vol. 2.
cons. 22. narrat: in sua patria delinquentem ideo mitius fuisse
punitum, quia eximia virtute toti Senatui hactenus fuisset proba-
tus. Clasen d. jur. aggratiand. cap. 14. Transfuga graviter punitur
l. 3. §. is. qui 10. ff. de re militari & ad bestias, vel ad furcam damna-
tur Idem ibid. Sed si is, qui transfugit postea multos latrones
apprehendit, & transfugas demonstravit, posse ei parci D. Ha-
drianus rescripsit l. non omnes §. §. fin. ff. eod. adeoque propter
beneficium reipubl. præstitum minimè punitur Socin. reg. lex ge-
neraliter 284. fall. 48. Exemplo quoque est M. Horatius, qui in
manifesto fororicidio à populo absolutus est, quod imperium
ejusdem populi adversus Albanos virtute peperisset sua; ut ta-
men aperta cædes aliquo piaculo lueretur, imperatum patri Ho-
ratii, ut filium expiaret pecunia publica Livius l. 1. Hinc aliquan-
do illi, qui in obsidione urbis, funes super fossa fortalitii evallo
in alteram ripæ partem extensos (quibus facile pontem injicere
urbem-

urberaque occupare potuerunt hostes) incidat, capitale supplicium ob commissum homicidium dolosum in mitiorem poenam commutatum esse compertum se habere dicit D. Jessen in *dissertat. d. mitigatione poenae cap. 5. th. 4.* Nec verò propria tantum merita prodesse debent ad tollendam vel leniendam delinquentis poenam; sed majorum quoque præclare facta ac beneficia in Rempublicam collata. Nam & hæc ad posteros transeunt: & nostris quoque legibus filii ob bene merita parentum remunerantur *l. 11. §. 1. vers. filios autem. l. 13. vers. filius scilicet C. d. advoc. divers. judicior. l. 3. §. 5. C. d. advocat. divers. judicior.* Veniæ talis exemplum in Plautio Laterano Messalinæ adultero habetur, cui mors, quam sceleribus meruerat, ob egregium patris meritum remissa fuerat, Tacit. *Annal. 11. 36. 4.* Commodum Imperatorem Aurelii patris virtus amabilem fecit, tametsi patri omnino dissimilis, gladiatorem moribus ac vultu referret: Emilio Scauro, cujus salus obruebatur criminibus, vetustissima nobilitas & recens patrum memoria absolutionem peperit Valer. Max. *lib. 8. c. 3.* Tiberius Cæsar Pisonem simul nobilitatem domus ipsius quoque meriti allegans, crimine civilis belli purgavit, Tacit. *3. annal. c. 18.* Quæ omnia tamen exceptionem habent, nisi quis in ipsam Rempublicam crimen atrox gravissimum sit molitus; talem enim non magis merita sua a punitione tam scelesti facinoris vindicare censuerim, quam olim vindicavere Sp. Cassium, quem ob affectatâ tyrannidem, nullâ nec rerum gestarum, nec honorum habita ratione Populus Romanus multavit. Liv. *l. 2.* Dionys. Halicarnass. *antiqu. roman. l. 8. & 10.* Tiraquell. *d. poen. mitigand. caus. 49. n. 13. & seqq.* Clæser *dissert. d. gratia delinquentibus faciendâ caus. 15.*

Vasallus in
Dominum
delinquens
feudum ob
bene meri-
tum non a-
mittit.

Th. II. Quamvis Vasallus in Dominum delinquendo feudum amittit, id tamen limitant DD. in casu, ubi Vasallus dominum a morte vel a latronibus liberasset, & ob hoc ei feudum esset concessum, nam tunc quanquam in Dominum committat, non tamen feudum amittit, quia hoc feudum potius habet loco mercedis, quàm beneficii Schneidevv. *p. 8. c. 2. epit. feud. n. 4.*

CAP.

CAPUT VII. & Ultimum
DE
PROBATIONE BENE
MERITI.

THES. I.

Tandem non sufficit allegasse benè merita, (sed eorundem *Prebanda*) probatio maximè necessaria est, quæ asserenti seu ea in-*sunt bene* tercessisse alleganti, & sic donatario incumbit, *l. merita,*
2. l. 5. l. 21. & seqq. ff. d. probat. Svarez thesaur. recept. sen-
tent. lit. D. n. 210. Si ergo donatarius probat donationem fa-
ctam esse ob bene merita, valebit ea etiam sine speciali merito-
rum expressione Panormitan. & DD. communiter *in l. si donationis*
C. d. collat.

Th. II. Donatario probare volenti benè merita, leviores *Sufficiunt le-*
probationes imò sufficere verisimiles conjecturas volunt pleri-*viore pro-*
que interpretes Decius *in d. l. si donationi C. d. col.* Extat etiam glos-*hationes*
sa in c. pen. in verbo sine dolo d. exceptionib. quæ dicit, probari quem imò conje-
benè meritum esse eo ipso, quod non probetur demeritus, vel *ctura.*
malè meritus, quod notandum esse ait Mynsinger *cent. 4. observ. 75.*
Quibus conjecturis statatur præsertim, si assertio donantis accedat
Paul. Paris *lib. 3. consil. 9. n. 13.* Johann à Sande *decis. frificar. lib. 4.*
tit. 1. def. 3. modò persona asserens liberè donare possit, tunc ge-
nerali ejus assertioni merita intervenisse plenā fidē adhibendam
esse communiter volunt, a qua tamen sententia recedit Cephal.
lib. 1. cons. 94. n. 18. ita ut generalis expressio pro admodum ob-
scura habeatur & incerta, neque de bene meritis, quæ, qualia
& quanta sint, vel num modum excefferint, eo modo constare
possit Besold. *cons. 251. n. 12.* Exprimenda ergo sunt meritum, ser-
vitium, obsequium ea causa *l. 27. d. donat.* Si verò donans persona
sit, quæ donare prohibita sit, generalis meritorum mentio non
sufficit, se speciali assertione opus est *arg. l. 14. C. d. contrah. &*
committend. stipulat. D. Richter p. 4. consil. 4. 2. n. 29. n. 1. & 2.

Probatur
B. M. per
testes.

Th. III. Probatur meritum eo modo, quo alia facta. Per
Testes ad minimum duos, qui de bene meritis exhibitis depo-
nant; qui testes ut plenè probent, debent esse habiles, honestæ
& inculpatae vitæ l. 3. ff. d. testib. summæ & integræ opinionis l. te-
stium C. eod. & omni exceptione majores h. e. contra quos adver-
sa pars nihil quicquam, cum quoad ipsas testium personas, tum
quoad ipsorum dicta, tum quoad non rite factam examinatio-
nem opponere possit.

Juramento

Th. IV. Juramento quoque merita probantur, ita ut bene
meritus si lemiplene probaverit, v. gr. per unicum testem, ju-
dex juramentum judiciale suppletorium deferre possit per l. 31.
ff. d. jurejur. Si verò is contra quem agitur ex bene merito de-
ferat alteri juramentum, hic non potest illud referre, ut ipse ju-
ret merita adesse, cum agatur de facto proprio, de quo quis ipse
jurare tenetur l. II. §. 2. ff. rer. amot.

Non credi-
tur juramē-
to simplici-
ter merita
intervenisse.

Th. V. Si concedens quid alteri vel donans asserat, me-
rita intervenisse, idque juramento confirmaverit, assertioni ju-
ratae ut merita probata dicantur, non ita credendum est, præ-
fertim si vergat in detrimentum tertii per cap. 2. d. pact. in 6. Mas-
card. d. probat. vol. 3. conclus. II 4 n. 30.

TANTUM!

COROLLARIA

I.

Non abs re Plinius in Panegyrico in 60. ait: In Principe rarum ac
propè insolitum est, ut putet se obligatum: aut si putet, amet.
Hinc insolens non est, quòd optimè meriti de Principibus
pessimam plerumque gratiam reportent. De Philippo Ale-
xandri patre ait Demosthenes in orat. Eum ita glorie cu-
piditate inflammatum esse dicunt hi, quibus familiariter notus
est, ut omnia præclara facinora sua esse videri velit: & magis in-
dignetur ducibus atque præfectis prosperè ac laudabiliter qui ali-
quid gesserint, quàm iis qui infeliciter & ignavè.

Sic

*Sic Burrhus sevo carissimus ante Neroni,
Invisus tandem toxica dira bibit.
Sic Bellisario sunt eruta lumina: summus
Hoc illis locus, hoc mobilis aula dedit.*

II.

Sapienter dictum est ab Agrippa genero Augusti: *Duorum meminisse oportere virum incolumem in aula versaturum: unius, ut difficultatem rerum ipse amoliretur, alterius, ut gloriam rei benè gesta Principi relinqueret.* Hinc ad evitandam invidiã non infalubre fuerit, avorum & agnatorum merita Patriæ præstita a liorum præconiis, citra gloriationis vanitatem, dilatare, & in cives divulgare. D. Bessel *in fabro fortuna politica monito* 49. Optimum ergo Invidiæ antipharmacum est humilitas. Agnosce in aliis excellentiam, neminemque præ te contemne, neque merita tua nimis effer.

III.

Parentũ benè merita in liberorũ promotione pondus habent. *vid. cap. 4. th. 1* Si quis virtutibus clarus extiterit, quasi fax in altissimo loco posita suo lumine ac splendore omnia complet: nectantùm vivus ac spirans laudibus cumulatur, verum etiam mortuus suavissimos suæ virtutis odores liberis ac posteritati relinquit, cui etiam si sceleratè vixerit, patriæ virtutis gratia indulgetur, inquit Bodin. *l. 4. d. Republ.* Cambyses multa crudeliter ac turpiter gessit; tunc tamen ab odio & invidia populorum ac principum vindicavit summa virtus Cyri patris; cujus imago & oris dignitas in hominum animis & mentibus tam alte inhæserat, ut etiã grati essent, qui nasum aquilinũ, qualis in Cyro fuisse dicitur, haberent.

IV.

Imperatores Romanos ad sancienda militib9 jura singularia moverunt non solùm benè merita, quæ præmiis provocanda sunt *l. 26. ff. d. testam milit. l. 13. ff. d. re milit.* sed nimia quoque imperitia *l. 40. §. fin. ff. d. administr. & pericul. tut.* magis enim arma, quàm leges scire existimantur *l. ult. in pr. C. d. jur. delib.*

V.

V.

Invitis quoque benefaciendum est. Ut Medici etiam invitos aegrotos curant: Sic Principes etiam invitis benefacere debent. Ita Johann. Jovin. Pontanus *lib. d. benef. cap. 11. § 28.* ait: *Et etiam beneficio quoties ratio ipsa docuerit, idem quod medicis servandum. Namque ut illi, quos obstinatis cedere animis aegritudini vident, etiam invitis medicamenta offerunt, & quantum in ipsis est, eos facere salvos student. Sic studere his ac inniti debent, ut consiliis patrociniisque & publica & occulta profut opera. Nam etsi ut dicunt beneficium non confertur in invitum, tamen non semper id videndum est, quàm illi gratum sit cessurum, sed quàm debeat benefecisse, quàm sit honestum, salvum facere eum, qui rebus suis desperans mortem ipse arcessat.*

VI.

Asterisco notandum est quod Thomas Wendvort Comes de Staffort in oratione valedictoria dixit: *Non secus ac in purissimo subtilissimoque linteo ac syndone citius conspiciuntur maculae, quae in villosiori obteguntur panno. Vel etiam atque in pretiosissimo adamante labecula aliqua deprehenditur facilius, illiusque dignitatem magis imminuit, quàm si in abjecto inveniretur lapide, haud aliter & in candidissimis pectoribus, & quos supra communem sortem evexit nobilitas, exigua etiam peccatula atque errores longè cernuntur facilius, laxantur gravissimè. vid. memorab. Anglic. anno 1649. edit. p. 9.*

**Sic bene MUSÆUS de seque suisque meretur,
BENE MERITUM cùm disputans bene exhibet.
Sic merita obtingent MUSÆO præmia; Amici
Bona verba bene merito animis facient bonis.**

Pereximio Dn. Autori-Respondenti,
Affini meo & amico pl. dilecto & honorando,
publicum eruditionis specimen gratulatus scribebam Imque

**JOHANNES GUILIELMUS BAJER,
D. & P.P.**